





12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
THEORIAM
AC
THERAPIAM
FLUXUS DIABETICI.

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS
IVSSV ET AVCTORITATE GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO DOCTORIS GRADV
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBV5
ET PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDIS

AD DIEM I. OCTOBR. M DCC LV.

ERVDIOTORVM CENSURAE SVBIICIT

AVCTOR

JONAS MISCHEL JEITTELES, Pragenfis.

HALAE AD SALAM, TYPIS KITTLERIANIS.

DISSERTATIO DIABETICAE MEDICAE

SYSTEMATICA

THEORIAM

AC

THERAPIAM

FLUXUS DIABETICI

AVGVSTVS AVGVSTVS

AVGVSTVS AVGVSTVS

AVGVSTVS AVGVSTVS

AVGVSTVS AVGVSTVS

PRO DOCTORIS GRADU

AVGVSTVS AVGVSTVS

AVGVSTVS AVGVSTVS

AVGVSTVS AVGVSTVS

JONAS FISCHER

AVGVSTVS AVGVSTVS





§. I.

Quum *Diabetes* morbus sit, qui raro contingit, & scripta eum pertractantia non adeo abundant, illum pro themate hac diatribe excutiendo præ aliis dignum reputavi. Sed non sine tædio leguntur innumeræ, æque ac ineptæ denominationes, quibus *Diabetes* ab autoribus præcipue priscis insignitur, quas vero hic allegare instituti mei ratio non permittit: LECTORI BENEVOLO potius suadeo ipsos adire autores, qui de *Diabete* scripserunt, quique fere omnes recensiti sunt in ILLUSTRIS ALBERTI, Præceptoris mei gravissimi, Lexico medico. Non sum equidem nescius, quod meum nunc esset tradere definitionem morbi; at, cum observationibus & ipsa, et integrum nitatur opus, eas priori loco ponere bonum et necessarium duxi.

OBSERVATIONES.

- 1) WOLFGANGIVS WEDELIVS a) curiosum narrat casum de viro quodam magni nominis, qui a scabie antea remediis consuetis liberatus,

A 2

anno

a) A. N. C. D. I. Ao. 2.

DISSERTATIO INAUG. MEDICA

anno sequenti, incunte vere, ad prophylaxin bibit per vices ultra **XV.** mensuras succi Betulae fere corrupti. Orta inde est vehemens humorum versus renes congestio, sitis urgebat maxima, calor accedebat intensus, & quotidie copiam urinae potu triplo, sextuplove maiorem excernere cogebatur aeger cum partium odaxysmo. Omni medicina sine fructu adhibita, moriebatur.

- II) **ILLVSTRIS IVNCKERVS**, Praeceptor meus ad tumbam usque non satis colendus, narrat de studioso quodam Theologiae, qui indefesse Incubando malum hypochondriacum sibi contraxerat. Huic malo symptomatis instar junctus erat fluxus diabeticus adeo effrenis ut de nocte somno occupatus frequentissimo stimulo diuretico tandem obedire non amplius potuerit matulam petendo, quo factum est, ut perbrevis eius lectus fuerit corrosus. Urina erat cruda, absque sedimento, potum assumptum quantitate ter circiter superans. Macescere coepit corpore toto. Conspirabant fluxus haemorrhoidalis & motus febriles anomali: Adhibuit pulverem digestivum ex absorb. & ☉e medio; pilulas balsamicas ex extractis amaris leniter resolventibus & roborantibus; mixturam resolventem constantem ex tincturis alcalicis & aliis resolventibus, item species Paracelsi constantes ex herbis vulnerariis, quibus quidem remediis a principio morbus cedere recusavit, continuato vero per annum eorum usu cessavit, una cum eius causa, quae erat malum hypochondriacum.
- III) Orphanum quendam, narrat idem **VIR DOCTISSIMVS**, studiis pariter sedulo inhiantem **XIIX.** annorum pathemata premebant hypochondriaca. His succedebat copiosissimus urinae fluxus, adeo, ut quovis fere momento vesicam exonerare coactus fuerit. Vnde aequae ac praecedens lectum comminxit & contaminavit; siti praeterea inexplebili vexatus aqua frigida se copiose ingurgitavit. Tandem malum hypochondriacum obfirmatum delirium induxit, quo durante cujusvis obvii speciem sputo conspurcavit, inquiens: *Psui! du Zeusel.* Accedente febre hectica extenuatus defunctusque est.
- IV) **D. SCARMVCRVS b)** refert de religiosa quadam vestali, quod, febre per usum cort. Chinae suppressa, in fluxum inciderit diabeticum, & per diem **XL** ☿. minxerit.

b) **A. N. C. D. I. Ao. 10.**

- V) D. SCHMIDIVS c) refert de viro quodam generoso cholerico, qui ex nimio aromatum usu eundem affectum sibi contraxit, & singulis noctibus X-XII. mensuras & ultra per urinam reddidit, assumtis licet per diem tantum mensuris IV.
- VI) AMATVS LVSITANVS d) refert, quod ex nimio vini generosi & farcininis pipere conditi usu Diabetes aliquando obortus fuisset.
- VII) D. LEBENWALD e) refert de puero XVI. annorum, qui corpore exæstuante, frigidum hauriendo potum, Diabetem sibi contraxit, & una nocte non raro XV. mensuras aquæ frigidaë minxit, quam primum ingestæ fuissent. Ardorem in pectore tantum adfuisse narrat, ut apponenda nive & glacie opus habuerit.
- VIII) D. HVNERWOLF f) narrat de puella VI. annorum, quæ post curatam urinæ incontinentiam ophthalmiam passâ, a vesicatorio ex cantharidibus lethalem in Diabetem incidit.
- IX) THOMAS BARTHOLINVS g) refert de viro quodam, qui singulis mensibus, præviis cruciatibus nephriticis, fluxum Diabeticum passus, singulisque diebus sub novilunio XII. mensuras aquæ absque corporis colliquatione minxit, licet tertiam partem unius mensuræ vix interea biberit. Urina fuit sabulosa & sal ex illa elicium canique propinatum eum necavit, pilis cadentibus.
- X) Simile quid observavit OLAVS BORRICHIVS h) de viro LXVI. annorum, qui singulis mensibus, modo sub pleni-modo sub novilunio, fluxu diabetico prægresso, pariter crutiati nephritico triduo consistatus est, ubi per tres dies XXX. mensuras urinæ deposuit absque corporis colliquatione, licet interea vix mensuram semis potus assumerit.
- XI) Mihi licet juveni iste adeo rarus morbus quondam tamen obvenit observandus. Videre nempe mihi licuit ægrum, qui, fonticulo

A 3

c) A. N. C. D. 2. Ao. 2. obs. 124.

d) Observat. Medicinal. pag. 336.

e) A. N. C. D. 2. Ao. 9.

f) Ibid. D. 1. Ao. 2.

g) Ibid.

h) Ibid.

culo, ob vomitum pulmonalem antehac illi adhibito, postea vero consolidato, Diabetem sibi contraxit. Sex diebus ab incipiente *Diabete* circumactis aeger adeo consumptus erat, ut umbris macilentior oflaque ac pellis totus esse videretur. Urina erat cruda: potulenta, brevi postquam assumpta fuissent, parum mutata cum urina copia ea longe superante reddebantur. Præterea urgebat febris & sitis inextinguibilis. Medicus sagax in consilium vocatus fonticulum denuo aperiri iussit, quo ægrum, etsi pristinae valetudini non prorsus restituerit, morti tamen, auxiliante Deo, eripuit.

§. 2. Ex his præmissis observationibus commode jam eruere valeo symptomata, ut prædicata essentialia, quæ Diabeti omnimode iuncta sunt, & quibus ille ab omnibus aliis morbis distingui, & per consequens definiri potest. Est igitur *Diabetes morbus, quo urina cruda potulenta non diu, postquam fuissent assumpta, parum mutata referens majori in copia, atque hæc fuerunt ingesta, excernitur.*

SCHOLIUM I.

Quod in Diabete urina excernatur cruda, evidentissime apparet ex observatione II, XI. idemque testantur duo fide apprime digni observatores, JVNCKERVS nempe i) & LOMMIVS k). Quod urina potulenta brevi postquam fuissent assumpta parum mutata referat, elucescit ex observatione VII. ubi patet, quod aqua frigida, quam primum assumpta, sine ulla mutatione fuerit reddita. Idem quoque comprobant LOMMIVS l) BLANCARDVS m) HILDANVS n). Quod denique urina majori in copia, ac humida fuerint ingesta, reddatur, omnes contestantur & observationes allegatæ, & autores.

SCHOL.

- i) Consp. Therap. Special. pag. 809.
- k) Obs. Med. pag. 215.
- l) l. cit.
- m) Lex. Medico.
- n) Observat. Med. pag. 374.

SCHOL. II.

Quoniam in Diabete urina excernitur cruda, qua morbus non tollitur, sed magis magisque ingravescit; facile inde patet distinctio eius a critica excretionem urinæ, ubi urina, licet quoque potulenta assumpta copia superet, cocta apparet, morbumque, si non funditus tollit, sensibiliter tamen levat. Eo vero, quod in Diabete urina potulenta parum demutata referat, non potest non facile distingui ab excretionem urinæ hydropem interdum excipiente, ubi urina, licet cruda appareat, potulenta interea assumpta copia longe superet, morbumque haud tollat, aliam plane, ac qua potulenta ingesta splendebant, speciem refert.

SCHOL. III.

Obficiet forsitan quis: datam definitionem non esse universalem! Etenim veteribus ille morbus jam nomine Diabete venit, ubi urina potulenta modo paulo ante ingesta parum demutata refert, licet non majori in copia, atque ea fuere assumpta, excludatur. Quid? quod vel iste morbus, qui inverse se gerit, ubi nempe excreta urina saltim potulenta assumpta copia superat, licet ea prorsus demutata referat, veteribus Diabetes audit. Qualia exempla existant in RYLANDIO o), BLANCARDO p). Respondeo, hæc morborum genera audiunt quidem Diabetes, sed nothus, nos vero de *Diabete vero seu exquisito* agimus. Interim, quantum fieri poterit, tantam de Diabete vero suppeditare studebimus theoriam ac therapiam, quæ ab attendente & rite abstrahente facili negotio applicari poterit ad Diabeten nothum.

§. 3. Quum in Diabete potulenta assumpta parum demutata cum urina, eaque cruda, non cocta excernantur, manifeste patet, sub eo tum actionem ventriculi atque intestinorum, qua digestio & mutatio ingestorum perficitur,

o) Observat. Med. 235.

p) Anatom. Reform.

tum ipsam urinæ concoctionem esse depravatam. Cum vero urinæ excretio, quoniam præter assumpta potulenta ingenti in copia meijitur, tum aucta est, ejus quoque secretionem, quæ actio est, itidem auctam esse, manifeste liquet.

§. 4. Est igitur Diabetes morbus actionis depravato-auctæ. Atque ecce! nunc facili negotio non potest non Diabetes discerni a reliquis omnibus urinæ excretionis vitiis, quippe quæ ad morbos actionis depravato - imminutæ spectant.

§. 5. Cum Diabetes morbus sit actionis depravato-auctæ §. 4, causæ eum provocantes necessario talis esse debebunt indolis, qua ex una parte actionem nostri corporis augere, ex altera vero parte depravare queant.

§. 6. Cum in Diabete secretio enormiter aucta sit §. 4; causa secretionis enormiter etiam aucta sit, necesse est. Jam vero causa secretionis est resolutio sanguinis & humorum, qua partes quaedam, ad certum quoddam fluidum conficiendum aptæ, a reliquis partibus separantur, & tandem rursus uniuntur q); ergo resolutio humorum aucta est pro causa proxima Diabetes habenda, sed non sola. Nam nulla adest ratio, cur major urinæ & non alius generis fluidi fiat secretio, quoniam aucta sanguinis & humorum resolutio causam quidem continet auctioris secretionis fluidi in genere, non vero in specie auctioris secretionis urinæ; quia humores resoluti, & ad quampiam, ut ita dicam, secretionem subeundam proni, possent tam in alio organo secerni & aliud fluidum constituere, quam in renibus secerni & urinam constituere. Nisi quidem causam sibi habeat comitem,

q) HAMBERGERI Physiolog. caput de secret. in genere.

tem, quae efficit, ut humorum congestio major fiat versus renes, quam aliud versus organon secretorium, tum enim causa adest, cur secretio fiat in renibus, quaeque haerere demum poterit, vel in renibus ipsis, vel in aliis partibus, quod infra uberius patebit. Est igitur causa proxima Diabetæ *in aucta sanguinis atque humorum resolutione, eorumque versus renes congestione simul*, haud vero in alterutra sola, quaerenda & deprehendenda.

§. 7. Cum causa Diabetæ proxima haereat in aucta sanguinis atque humorum resolutione eorumque renes versus congestione simul, causae ejus remotae non poterint non diversae esse indolis. Poterit enim vel id Diabetem remote producere, quod ad auctam humorum resolutionem pabulum praebet, praesente jam alia causa, congestionem renes versus determinante; vel id, quod congestionem humorum renes versus allicit, praesente jam, ab alia causa, resolutione humorum aucta; vel denique id, quod & ad resolutionem humorum auctam, et congestionem versus renes simul ansam praebet.

§. 8. Ad priorem classem, ubi nempe ea remote Diabetem producere possunt, quae resolutionem humorum auctam reddunt, praesente jam alia causa humorum congestionem versus renes determinante, pertinent:

I. *Eminens salium alcalicorum copia in nostro sanguine.*

Non enim nos latet, quod salia alcalica, partim vasa arteriosa & cor, substantia sua, ut ita dicam, acuta, stimulando, et hinc eorum motum dia- et systolicum intensiorem excitando, partim vero sulphureas partes, sanguini inhaerentes, resolvendo, et particulas igneas,

B

in

in illis copiose latitantes, liberando, caloremque inde excitando, humorum resolutionem promoveant. r) Quid? quod per motum progressivum humorum intensum salium alcalicorum copia multiplicatur. Etenim salia alcalica, quae partibus peregrinis obducta et hinc actioni minus idonea sunt, per motum ab his liberantur; evadunt itaque sui juris, et actioni idonea. Quare extra omnem haesitationem positum est, in Diabete salia alcalica praedominari, et causam remotam ejus esse. Id quod etiam probat observat. I. II. III. Nam unde convulsiones, et stragulorum corrosio alias provenissent, quam ab acrimonia falso-alcalica. Nec non observat. IX. evidentissime id ostendit. Etenim \ominus elicium, quia canem interemit, ad salis alcali naturam accessisse et causticae indolis fuisse, necesse est. Nam \ominus alcali causticum pilos corrodere et auferre posse, luculenter videtur ex illo unguento, ad barbam abradendam apud nos, Pragae, praesertim inter judaeos usitatissimo, constante ex auripigmento et calce viva aa. et ∇ a, quibus hepar \hat{a} ris generatur, id quod odor prodit, quod pilos abradit.

II. *Ulcus quaecunque corporis partem premens.* Nam ita concludo: Quidquid ad salium alcalicorum Diabeten producendi potentium no. I. multiplicem et perennem fere generationem pabulum praebet, id pro causa mediata, ut dici solet, remotiori cognosci valet: Atqui ulcus talem materiam impuram, putridam, sal-

r) HAMBERG. Physiolog. cap. de sanguinis quantitate & qualitate. Item EXCELL. NICOLAI praceptoris mei gravissimi Sehee von Siebern.

fam alcalicam indefinenter gignit s), Ergo. Pro hujus theſeos veritate ſtat obſervat. III. ubi certum ulcus, quia malum hypochondriacum quod adeo obfirmatum fuit, ut delirium induxerit, cauſa Diabetæ fuit. Item ex obſervat. II. colligi poteſt, ulcus adfuiſſe, quia ſagax JUNCKERUS ſpecies vulnerarias adhibuit. Item obſervat. XI. id probat. Etenim fonticulus conſolidatus non alio ſane modo Diabetem produxit, quam eo, quod materia putrida alcalica, in pulmonum ulcere ſeu vomica indies genita, antea per eum patulum e corpore proſcripta, eo demum ocluſo, in corpore reſiſta fuerit. Id quod eo magis patet, quoniam fonticuli apertura tota erat ægri medicina.

III. *Inflammatio cuiſcunque corporis parti, exceptis renibus, inſidians*: nam quælibet inflammatio producit febrem; hinc et majorem humorum reſolutionem. (per principia pathologica.) De induſtria aſſero, exceptis renibus, quia inflammatio renum, renes comprimendo et obſtruendo Diabetem impedit, quamvis humorum reſolutionem etiam augeat.

§. 9. Ad alteram claſſem, ubi nempe ea remote Diabetem provocare queunt, quæ ad congeſtionem humorum renes verſus anſam præbent, præſente jam ab alia quacunque cauſa humorum reſolutione aucta §. 8. ſpectant:

I. *Progreſſi dolores nephritici, vel a calculo, vel alia quacunque cauſa*, quibus renes debilitantur, humorumque congeſtio verſus eos prolicitur. Vid. obſervat. IX. X.

B 2

II.

s) vid. Diff. de ulcerum pathologia Præſide B. HAMBERGERO.

II. *Nimius stimulus renibus illatus*, sive per immoderatum diureticorum, praesertim acidorum, usum, sive per externe applicata valde acria, quippe quae non nunquam resorpta & ad renes delata, eos stimulant, sicque humorum congestionem versus eosdem alliciunt. Testes hujus thesios sunt observationes multorum autorum t) praesertim WEDELII, item observatio IIX. ubi *contharides* externe appositae, et ad renes translatae Diabetem produxerunt.

III. *Viscera obstructa*. Nam tunc humoribus transgressus prohibetur, qui, ut fluida pressa, ad renes, quia ii patuli sunt et minus resistunt, vergunt et congeruntur. Pro hujus thesios veritate stant observationes supra allegatae fere omnes. Quid enim succus Betulae corruptus? quid suppressio febris per corticem chinæ? quid denique potus frigidus corpore in aestu constituto, aliter, quam viscerum obstructions progenuerint, quo Diabetem provocarunt? Quid? quod ipsum malum hypochondriacum obfirmatum, quod Diabetem excitavit, nihil aliud est, quam viscerum obstructio.

§. 10. Ad tertiam classem, ubi nempe ea Diabetem remote progignunt, quae resolutionem humorum auctam reddunt, & congestionem eorum versus renes simul alliciunt, referenda esse videntur generatim *omnia, quae sal quoddam oleosum acre continent*; quoniam eo vasa arteriosa ipsumque cor & renes stimulant, quo & humorum auctam resolutione

t) vid. Diss. inaug. de intempestivo diuret. usu Praeside PERILVSTRI BUCHNERO, Praeceptore meo gravissimo.

lutionem & eorum renes versus congestionem producant.
 §. 6. 9. no. II. Qualis generis sunt *aromata, vinum gene-
 rosium*, præsertim largiter haustum, *diuretica alcalica*. Vid.
 obs. V. VI.

§. II. Potest etiam ad hanc classem §. IO. referri *Tran-
 spiratio a quacunque causa suppressa*. Etenim tum insignis
 humorum copia, quæ per transpirationem eliditur, in cor-
 pore remanet; sal volatile cujuscunque indolis, quod per
 eam e corpore proscribitur, retinetur, quod humores sese
 enormiter aggregantes resolvit, renes stimulat, & eo humo-
 rum resolutorum congestionem dirigit. Hoc observare li-
 cet tempore hyemali, ubi homines, ob transpirationem
 suppressam, frequentius, quam æstivo, lotium egerunt.

§. 12. Expositis quantum fieri potuit hætenus causis
 actionis auctæ in Diabete, §. 3. jam ordinis ratio jubet, ut
 etiam explicemus causas actionis depravatae, unde scili-
 cet fiat, quod potulenta parum mutata mingantur, ut
 et quæ sit ratio, quod urina in Diabete non cocta sed cruda
 sit? Hoc infra, illud hic loci exponere libet. Ratio cur in
 Diabete potulenta haud mutata, sed incocta egerantur hæc
 est. Ex physiologia constat, quod, si mutatio seu digestio
 ingestorum perfici debet, requiratur I) ut ventriculus atque
 intestina justo suo tono et robore fruantur, quo motum exer-
 cere queant peristalticum, II) ut menstrua, digestionem seu in-
 gestorum mutationem inservientia, tum ratione qualitatis, tum
 ratione quantitatis, rite sese habeant. Jam vero in Diabete
 ventriculus atque intestina, ut reliquum corpus, tono debi-
 to carent, et menstrua illorum ipsa, tum ratione qualitatis,
 quia alcalicæ indolis sunt, quemadmodum sanguis est, ex
 quo propullulant §. 8. no. I. tum ratione quantitatis, pec-
 cant,

cant; quia ob nimiam se- et excretionem urinae, horum secretio imminuitur, ita, ut non suppetant, ergo inde manifestum est, cur in Diabete assumpta potulenta parum vel nihil mutata profundantur.

§. 13. Problema igitur hoc jam venit explicandum: quomodo fieri possit, ut potulenta brevi postquam assumpta fuerunt mingantur, cum tamen iter, quod iis absolvendum est, antequam ad M. S. et ad renes perveniant, satis longum sit, et proinde magnum temporis spatium requirat? Verum huius problematis enodatio expeditissima erit ad sequentia attendenti: in Diabete ventriculus atque intestina, hinc et pylorus ac vasa lactea, ut reliquum corpus, tono suo privata sunt; ergo in ventriculum delata potulenta eum irritant, imprimis cum mucus eum obducens et ab irritatione defendens nunc per humores alcalicos, in eum confluentes, abstergatur, quo irritationi magis obnoxius evadit. Irritatus itaque ventriculus motum suum peristalticum multo jam expeditius exercebit, quo fluida premuntur, haec autem pressio vehementi inspiratione et motu diaphragmatis augetur, fluida vero pressa partim ex suo pondere, partim ob pylori debilitatem et resistendi ineptitudinem, versus eum magis vergunt et per eum in intestina, ubi denuo dicto modo citissime premuntur in vasa lactea, ad resistendum minus apta, in quibus una insuper pars fluidi ab altera advolante protruditur, quo illorum transitus per vasa lactea acceleratur, et tandem motu vasorum celerrimo deferuntur ad renes, ubi, ob gravitatem specificam cum renibus fere aequalem, mox adhaerent, fecernuntur et vi ponderis in vesicam delabuntur et excernuntur.

SCHOL. L

SCHOL. I.

Non nescio, dari quosdam, qui hoc problemâ explicandi causa, veterum opinionem de vasis ab intestinis ad vesicam urinariam immediate pertinentibus & potulenta immediate ex intestinis in vesicam devolventibus amplectuntur, licet jam dudum explosa sit, & licet eo facile omnino explicari & intelligi possit modus, quo potulenta ingesta brevi rursus excerni possunt, huic tamen opinioni me subscribere nequeo, idque variis ex causis. Nam si ejusmodi vasa existant, vasis lacteis vel majora esse debent, vel minorâ. Si prius esset, cur indefessa Anatomicorum disquisitio ea non detexit, quæ tamen vasa longè minorâ, velut lactea in aprum proferre valuit? sin vero posterius, non possent corpuscula crassa, ut grana seminis, quæ in urina Diabeticorum, teste WEDELIO, reperta sunt per ea meare & transire. Deinde si talia vasa præsto essent, non apparet ullâ ratio, cur obstructis licet renibus urina excerni nequeat, ejusmodi tamen viis in corpore obviis, quibus epota immediate ex intestinis in vesicam transferri & excerni possunt? id quod tamen videtur in Ischuria, quod, obstructis renibus lotium haud reddi possit.

SCHOL. II.

Conabuntur equidem patroni huius sententiæ (quod nempe talia existant vasa) demonstrare eandem variis experimentis, in diversis animalibus institutis; sed ut multa uno verbo expediam, commiserunt I) fallaciam a non causa ut causa; deinde non sequitur: quia animalia bruta ejusmodi vasis sunt instructa, ergo homo etiam iis præditus est.

SCHOL. III.

Quodsi vero id negotiî mihi darem ut explicem, quomodo in Diabete cum lotio seminis grana possent eliminari, cum tanta vasorum lacteorum sit exilitas & angustia? R. supra demonstravi, quod Diabete ab ulcere oriri possit: *lam non impossibile urique est, ut istud ulcus,*

cus, Diabetem producens, in intestino quodam hereat, quod materia sua acri salina arrodere & perforare potest, & quidem sic, ut vesicam urinariam simul arrodat & perfodiat, quo casu possibile utique est, ut subinde assumta tum potulenta, tum corpusecula crassiora, immediate ex intestinis in vesicam urgeantur & cum urina foras extrudantur. Quale exemplum relatam legitur in B. STAHLII Theoria med. vera pag. 1159. & seqq.

§. 14. Ex praemissis jam apparet, quod Diabetes modo symptomaticus, modo idiopathicus sit. Idiopathicus est, si pendet ab eminente sale alcali §. 8. no. I. aut a transpiratione suppressa §. 12; symptomaticus est, si a reliquis causis pendet. Immo etiam modo luculentissime patet, Diabetem non semper esse morbum chronicum. Nam si ex. gr. ab inflammatione pendet, chronicus esse nequit morbus; quia inflammatio inter aliquot dies abit; hinc Diabetes quoque aliquot diebus aliquando cessare potest.

§. 15. Subjecta Diabetae imprimis obnoxia sunt, quae temperamentum cholericum habent, vitamque desidem agunt. Vid. Obs. II. III. V.

§. 16. Symptomata, quae Diabetem comitantur, juxta omnes observationes, sequentia sunt:

I. *Febris.* Nam si ab inflammatione pendet, §. 8. no. III. febris adest inflammatoria, et si a reliquis etiam causis pendet; quia major resolutio humorum semper praesto est, qua calor universalis invalescit §. 6. qui febris essentiam constituit: febris tamen praesens est. Vid. obs. II. VII. ubi exstat, quod aeger ad ardorem temperandum glaciem pectori apposuerit. Item obs. XI.

II. *Sum-*

II. *Summa respirandi difficultas.* Nam si ab obstructione viscerum pendet, asthma necessario adesse debet; etsi a reliquis causis pendet, ob sanguinis nimium aestum et resolutionem, pulmones in dilatatione servantur, unde aeger cito et vehementer respirare debet.

III. *Sitis inexstinguibilis.* Quia secretio salivae fauces irritantis, humectantis et sitis sensationem inde prohibentis, per nimiam secretionem urinae impeditur et immittitur: nimius insuper aestus fauces exsiccat, aërem calefaciendo, qui humidum promptius absorbet.

IV. *Urina cruda excernitur.* Quia nimia sanguinis resolutione, ejusque motus perturbatus impedit, quo minus partes peregrinae, homogeneae, congregari et secerni possint, sed promiscue partes secernuntur, id quod probat urina turbida.

V. *Si urina cohibetur, dolor circa lumbos sentitur,* quia urina a tergo ex renibus affluens in uretheribus tunc uberiore copia cumulat, eosque extendit, atque ita dolore afficit. Ex quo iterum apparet non transire urinam immediate ex intestinis per vasa in vesicam.

VI. *Corporis colliquatio.* Quia per calorem et nimiam resolutionem pinguedo colliquatur, resorbetur ad M. S. et cum urina excernitur. Id testantur omnes observationes. Et quamvis ex observatione IX. X. videatur, quod quidam Diabeten perpassi fuerint sine corporis colliquatione, facile tamen colligi potest, quod in iis tantum id ideo fieri potuerit, quia ob praevios dolores quondam nephriticos urinam copiose retinuerint, quae

tandem iis remittentibus copiose excerni potuit, sine corporis colliquatione: ubi vero urina quotidie ingenti copia profunditur, fieri non potest quin corpus inde consumatur.

VII. Reliqua symptomata, pro diversitate causarum, diversa sunt,

§. 27. In Diabetae cura ad causam semper respiciendum est; quare convenit praepremis, acidulata et temperantia aegrotis propinare, ut salium alcalicorum vis infringatur, quae nimiam resolutionem efficiunt, et aestus temperetur;

- I. *Gelatinosa, mucilaginosæ, ut corpus nutriatur;*
- II. *Decocta ex herbis & floribus temperantibus ac lenientibus parata;*
- III. *lenia laxantia, aut chysteres modice stimulantés, utpote quae obstructions viscerum partim tollendo, partim affluxum in intestina derivando, Diabetem avertunt. Abstinendum vero est a purgantibus drastis, quippe quae sanguinem magis commovent;*
- IV. *lenia adstringentia, quae renes leniter constringunt et affluxum avertunt. Desistendum vero iterum est ab adstringentibus validioribus ac vehementioribus, praesertim praesente viscerum obstructione, quippe quae ab illis magis exacerbatur;*
- V. *Si ulcus in causa est, abstergendum et purgandum per herbas vulnerarias; quin et fonticulus, si necessitas urget,*

get, excitetur, quo materia purida ex ulcere elidi queat.
vid. Obs. XI.

VI. Si transpiratio suppressa in causa est, ejus *restitutioni* operam dare debemus, quae vero non diaphoreticis, sanguinem valde commoventibus; verum balneis tepidis ex herbis roborantibus et lenientibus Vid. *Rulandi thesaur. med. pag. 285.* concinnatis impetranda.

VII. Aer serenus imitandus est, nimis calidus, quia sanguinem nimis resolvere adjuvat, nimis frigidus et nimis humidus vero, quia transpirationem impediunt, praecavendus. Si mihi vacaret longiori in scribendo esse, certa de hoc morbo, itidem perquam digna, quae ulterius expendantur, in medium protulisset, sed temporis angustia jubet huic dissertationi asserre

FINEM.



C 2

Nobi.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. D.

ERNESTVS ANTONIVS NICOLAI

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS PRUSSICÆ CONSILIARIUS AULICUS,
MEDICINÆ DOCTOR AC PROFESSOR.

EX QUO TE, CANDIDATE PRAESTANTISSIME, cognoscere singularesque TVAE ingenii dotes, quibus praeter complures TVAE gentis alios, itidem hac in Academia superioribus jam temporibus medicam scientiam doctos, exsplendescis, altius inspicere mihi contigit, nihil prius nihilque quicquam antiquius TE semper habuisse animadverti, quam ut studiorum solertiae probitatem morum vitaeque innocentiam jungeres, quippe a quibus primam perspiciebas et maximam cujuslibet literati proficisci commendationem. Quocirca nec mirum est, praeceptorum omnium, quorum in disciplinam TE tradidisti, et amorem et benevolentiam TIBI TVA hac vitae modestia conciliaffe. Alienum igitur a meis in TE esset officii, quum me, praeter alios, in medica arte habueris praeceptorem et religiosum TVAE indefessae diligentiae ac profectuum testem, si, oblata hac occasione, TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, non publicitus propensam meam in TE voluntatem testificarer, tantosque honores, quibus TE Hygea dignata est, ex animo gratularer. Nihil itaque est, quod impensius opto, quod ardentius voveo, quam ut Dei numen cunctis TUIS conatibus atque coeptis adspiret, eaque TIBI fauste, feliciter prospereque semper evenire jubeat. Ceterum a me omnia in TE studia officiaque expectes. Dabam in Academia Fride-riciana Halensi d. 28. Septembr. Ann. M DCC LV.

Can-

CANDIDATO

SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM
DIGNISSIMO

S. O. P.

FRIDER. LVDOV. AVGVST. HELD
ABBATIS BESSINGA SCHWARZBVRGICVS.

Delicis equidem summis dissertationem TVAM inauguralem, DOCTORANDE AESTVMATISSIME, sat eleganter viridoque exarata per scrutatus sum, ac nihil interest quin publice fatear, eandem perlegisse me haud pœnitere. Quem enim fugiat Diabetem funestum paeneque lethalem constituere affectum atque vitae humanae persaepe colophonem addere, exinde consideratu lectuque permanere dignissimum? Quod autem dissertationem concernit TVAM, omnino me incessit admiratio, dum mecum tantum periculosum affectum simul TVA cum doctissima resolutione perpenderem; hinc non potui non facere quin iudicaverim: dissertationem ipsam magno ingenii acumine abs TE esse conscriptam. Gratulor igitur TIBI, DOCTORANDE AESTVMATISSIME, ex intimo cordis affectu honores in Medicina summos capeffendos! Utaris his ad felicitatem veram nanciscendam! Redeas ornatus suspensio animo TE a ventibus parentibus obvium praebear! Cursum accelera TVVM! Sit TIBI Jehova in fortuna imminente auxilium! Tueatur TVA negotia et ut cuncta TIBI prospere feliciterque evenire possint concedat! Vivas interea patriae! Vivas parentibus! Vivas aegrotantibus! Mihi autem favorem TVVM impossibilem denegare nolis, etiam atque etiam rogo. Vale. Dabam Halae nono Calendarum Octobris, M DCC LV.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
SALVTARIS DOCTRINÆ
CANDIDATO

S. P. D.

JOANNES APOSTOLOVICS

A. S. C.

Quum trita alii, multorumque jam calamos pervagata, alii novitatis amore ducti ad entia rationis potius ableganda, alii utrisque procul ire iussis jucunda magis avidi arripiant themata inauguralia: recte sane, AMICE SUAVISSIME, talia veluti fyrtes ac scopulos circumspicte evitaturus, ejusmodi sum fisti elaborandum specimen, quod & raritate omnia fere exsuperat, & solida dignum est pertractatione. Perhibet GALENVS; bis sibi obtigisse occasionem, in amplissima licet praxi sua, ad strata diabeticorum versari; bis licuit BLANCARDO, bisque CEL. JVNCKERO. Rem profecto arduam multisque intricatam difficultatibus adgrederis veram diabetis daturus theoriam. Si enim animo volvo, quantæ molis sit, vel solum fontem & aquæductus adeo ingentem urinæ copiam suppeditantes rite determinare: hoc solo nomine Diabetem reliquos bene multos morbos vexis suis debellare infestatissimis, adfirmare nullus dubito. Et vero quam longus latusque mihi panderetur campus, si omnia eo spectantia saltim enarrare, ne dicam, attentius rimari contemplarique luberet. Hæc quanta quanta sunt, minime tamen sagax TVVM in involvendis naturæ mysteriis abstertere potuerunt ingenium. Non ego hic patenter excurram in laudes TVAS, quas optimo jure possides, exquisitissimas. Norunt enim omnes, quos TIBI blandus devinxit amor, industriam TVAM; norunt egregium eruditionis thesaurum. Gratulor itaque TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, de hocce insigni, quod edis, eruditionis specimine. Gratulor de honoribus, quos ambis, doctoralibus. Adprecor felices TIBI patriæ exoptatissimæ amplexus. Voveo ulteriorem in cursu medico prosperitatem. Vale. Dab. Athenis Fridericianis d. 29. Sept. M DCC LV.



קומי ולכי יונה
חכמתך בחוץ תרונה
בתיים וקרר והמונה
יפארוך ויקראוך נר המזריח
ובתבונתך תעשה לעמוד בריח
תתגבר תריע אף תצריח
כמו הדודאים תתן ריח
אמרתי בקשתך רצונך השם מפריח
אברהם חכהן מהלברשטט



1711
1712
1713
1714
1715
1716
1717
1718
1719
1720
1721
1722
1723
1724
1725
1726
1727
1728
1729
1730
1731
1732
1733
1734
1735
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748
1749
1750
1751
1752
1753
1754
1755
1756
1757
1758
1759
1760
1761
1762
1763
1764
1765
1766
1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800

Halle, Med. Zp. 505 ... 1755-56

ULB Halle 3
002 830 698



Sh

Retro







12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
THEORIAM
AC
THERAPIAM
FLUXUS DIABETICI.

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
IVSSV ET AVCTORITATE GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO DOCTORIS GRADV
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS LEGITIME CAPESSENDIS
AD DIEM I. OCTOBR. M DCC LV.
ERVditorVM CENSvRAE SVBIIICIT
AVCTOR
JONAS MISCHel JEITTELES, Pragenfis.

HALAE AD SALAM, TYPIS KITTLERIANIS.